



18.  
Q. D. B. V.  
DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS,  
DE  
**REDUCTIONE**  
**AD ARBITRIUM**  
**BONI VIRI,**

Quam  
DIVINI NUMINIS AUSPICIO  
EX DECRETO ET AUTORITATE  
**MAGNIFICI JCTORUM ORDINIS**  
*IN VIADRINA CELEBERRIMA,*

**PRÆSIDE**  
**DN. HENRICO à COCCEJO,**

JCTO SUMMO,  
AUGUSTI AC POTENTISSIMI REGIS BORUSSLÆ  
CONSILIARIO INTIMO,  
FACULTATIS JURIDICÆ ORDINARIO,  
ET ANTECESSORE PRIMARIO,

*Domino Fautore ac Patrono per omnem ætatem submisſe colendo,*  
PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES, IMMUNITATES  
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA

Rite ac ſolemniter conſequendi,

In AUDITORIO JCTORUM

Die Novembr. An. MDCCXIII. Horis ante- & Pomeridianis

Publice Jctorum diſcuſſioni ſubmittit

**ERNEST. FRID. CAMMANNUS,**

Loffov. Francof. J. U. C. & N. P. C.

---

*Francofurti ad Viadrum, Literis JOH. CHRISTOPH. SCHWARTZII.*




18

DEPUTATION  
REDDITION  
AD AUSTRIAM







## SECTIO I.

De

### Arbitrio boni Viri in genere.

#### SUMMARIA.

- S. 1. Exordium ab utilitate inquirendi in proprietates verborum.*
- S. 2. Quod arbitrium pro voluntate accipitur, non esse ab ejus proprietate, sed à translatione.*
- S. 3. Proprie eo significari estimationem, judicium, sententiam & sim.*
- S. 4. Hinc arbiter sua natura idem quod judex.*
- S. 5. Inde transferri ad alios usus, ut accipiat pro libera potestate & voluntate.*
- S. 6. Usu tamendubus maxime rebus distingui judices & arbitros, I. quod judices dicuntur, qui publice constituti sunt, arbitri tum qui publice, tum qui privatim.*
- S. 7. II. Judicia dici quæ ex lege sunt & stricto jure scripta; arbitria, honoraria, cum potestate statuendi ex æquo & bono. ex Cicer.*
- S. 8. Quis hic intelligatur vir bonus? Judex.*
- S. 9. Quando ad hunc bonum virum veniri possit?*

S. I.

**T**Am plurima & eximia summis semper Jctis cura fuit proprietatis verborum, quàm usus ejus rei insignis & uberrimus. Etenim cum

A

pars



pars illa juris longe maxima sit, quæ de dispositionibus hominum & legum agit, latissimus inde aperitur campus litium ac quæstionum, quas ex verborum ambiguitatibus subnasci necesse est: Unde & maxime necessaria in Jure est accurata verborum interpretatio sed nec ulla alia res difficilior & impeditior. Constat enim longe plura esse negotia quam vocabula. *l. 4. ff. de Præscr. verb.* quippe cum illa res inquam & facta in infinitum varient, quæ proinde, cum verbis non possint, verborum figurationibus & translationibus æquari oportet. Hinc præclaram maxime operam Juris autores collocarunt cum indagandâ rerum naturâ tum evolvendâ sermonis indole, cujus specimen sunt in *l. fin. C. de Impub. subst. l. 124. ff. & tot. tit. ff. & C. de Verb. signif. tot. tit. ff. de Reb. dub. & tot. lib. 32. ff. qui est de legat. 3. & c.* At cum una vox in tot sensus sæpe disiliat, eam præcipue regulam, Natura duce, statuerunt, ne à proprietate verborum recederetur, donec alius usus vel sensus manifeste appareret. *l. 69. pr. ff. de Legat. 3.* Cui nunc non immoramur, sed ad significationem arbitrii progredimur quam accuratius expediti in tota arbitrorum materia per magni refert.

§. 2. Voce autem arbitrii voluntatem indicari, vulgo notum est, adeo ut promiscue uti soleamus nomine arbitrii & voluntatis. Ita pro arbitrio & pro libidine aliquid agere eodem sensu dici, & liberum arbitrium ac liberam voluntatem æquiparari tritum est. Nec vulgi tantum is usus est, sed Romanæ indolis. Nam & Cicero sæpe arbitrium & nutum copulat, cum ait, *Omnia Jovis, vel omnia unius in civitate hominis, nutu & arbitrio agi. Orat. pro S. Rosc. Amer. & in Orat. 4. in Verr. & c.* vel, arbitrium & libidinem. *Orat.*



1. in *Verr.* & pari sensu, *arbitratu suo, seu pro lubitu suo* agere: quæ passim obvia sunt: Ut in illo *Horatii de Art. Poët.*

- - - *Si volet usus,*

*Quem penes arbitrium est & Jus & norma loquendi.*

§ 3. Sed jam id solum quærimus, non quis usus, sed quæ sit proprietas vocis, nec de varia verbi translatione, sed vi ejus vernacula agitur. Proprio igitur sensu arbitrium non voluntatem significat, sed existimationem seu iudicium. Uti, cum dicitur, *id ita esse arbitror*, idem est quod, *ita esse existimo, sentio, puto, judico*, non idem quod *volo*, si de proprio ejus sensu quæras. Quod notissimum est, & passim occurrit apud *Plaut. in Aulul. act. 2. sc. 1. Velim Te arbitrari, me* &c. id est existimare, putare. & *act. 4. sc. 1. Hinc ego & huc & illuc potero, quid agant, arbitrarier*: id est dijudicare. Et rursus in *Mercat. in fin.* ubi lege inter adolescentes in senem scortatorem conventa, ajunt: *Cum eo Nos hic lege agemus, inscitum arbitrabimur.* Quomodo Cicero testatur, Romanos etiam cum jurati dicerent quæ comperta haberent, quæ ipsi vidissent, usos fuisse modestiore verbo, *arbitrari*; atq; adeo non de re, sed de suo iudicio affirmasse, non ita esse sed ita videri, ita arbitrari. vid. *Cic. pro Mil. in med. & Acad. quæst. lib. 4. in fin.* Et apud *Terent. Eun. act. 5. sc. 6. servus petit dominum de sua culpa id arbitrari quod res est*: id est iudicare vel sentire. Atque ita aliis locis innumeris.

§ 4. Hinc arbiter propriè, auctore Festo, in genere is dicitur, qui cujusque controversiæ componendæ vel decidendæ potestatem habet. Ita Cicero pro *S. Rosc. Am.* inquit: *Damnatus per arbitrum rem restituit.* Et Cæsar dicitur, *cum pecuniæ non solverentur, constituisse, ut arbitri darentur, per quos fierent astimationes*



*possessionum, &c. de Bell. Civ. lib. 3. cap. 1.* Nam & creditur, ex Scaligeri sententia, *arbiter* dici quasi *adbiter*: quia veteres dixerunt *bitere* pro *ire, vadere, venire*, quæ vox aliquoties apud Plautum occurrit, ut in *Curcul. act. 1. sc. 2. Fortunatus erit si, illa ad me bitet.* Et in *Mercat. act. 1. sc. 3. in fin.* pater filium, ne secum ad portum eat, ita prohibet: *Ad portum ne bites, dico jam tibi.* Ut arbiter sit quasi tertius, qui ad litem accedit ad eam terminandam.

§. 5. Eo ergo nomine iudices proprie veniunt, & voce arbitrii iudiciū. Hinc transfertur ad alia ut cum Tacit. *lib. 13. annal. c. 14. ait: Pallantem arbitrum regni egisse;* & pariter *lib. 4. Hist. cap. 21. de Civili Batavo: Ne arbitrum rerum Romanarum ageret.* Quomodo & arbiter rerum, & ita ipse quoque Deus vocatur, *lib. 15. annal. c. 24.* & pro libera voluntate ac potestate accipitur, prout traditum *supr. §. 2.* Atque hinc hoc primum adeo notandum est, arbitrium per translationem accipi pro nutū & voluntate; Proprie vero esse iudicium, seu id quod de re sentimus & existimamus, iudicamus: Atque ita genuino sensu æque late patent vocabula iudicii & arbitrii.

§. 6. Usus tamen aliquam distinctionem inter ea fecit, eamque in primis duplicem: Prima est, quod *iudex & iudicium* sint nomina potestatis publice constitutæ; arbitri autem & arbitrii significatio, in genere etiam privatorum iudicia qualiacumque ambitu suo complectitur. Uti in illo *Terent. Heautont act. 3. sc. 1. in fin. Vicini nostri hic ambigunt de finibus, Me cepere arbitrum.* Quin & de quæstionibus disciplinarum arbitri statuuntur. uti in *Tuscul. quæst. Cicero de Carneade* ait: *Quod controversias solebat tanquam honorarius arbiter iudri-*



*judicare.* Idemque de Chrysippo memorat, quod in quæstione, de fati necessitate, *tanquam arbiter honorarius se quasi medium tulerit. lib. de Fat. prope fin.* Quin & *arbiter elegantie* pro judice elegantiarum dicitur. *Tacit. lib. 16. ann. cap. 18.* & ita de aliis.

§. 7. Alteram differentiam Cicero ipse evoluit pluribus locis: scil. judicia esse legitima & de stricto jure, quippe quod ad formulam restrictum fuit: Arbitria autem honoraria; quibus judici laxior potestas ex æquo & bono statuendi permisa est. vid. *Cic. pro Q. Rosc. Com. in pr. & pro M. Fonteij. in pr.* etsi vero quædam addat, quæ nunc in medio relinquimus, eo tamen apprime ejus hæc doctrina respondet usui juris communis, quia non tantum arbitria dicuntur, quæ privato partium compromisso fiunt; *t. t. ff. & de Recept. arbitr.* sed & imprimis judicia bonæ fidei & arbitraria notissimo usu *arbitraria.* & Judices illi *arbitri* appellantur. *l. 24. vers. Et est quidem. ff. Depos.* Uti arbitrium tutelæ; *t. t. C. Arbitr. tut. familiaris erciscundæ;* &c. *l. 47. pr. ff. fam. erc. l. 17. C. eod. tit.* Item, arbiter pro socio; *l. 38. pr. ff. pro soc. communi dividendo & c. l. 11. §. 1. ff. de Aq. & aq. pluv.*

§. 8. Quale ergo jam hic arbitrium vel judicium spectamus? Boni Viri. Quis ille? Judex rite in eam rem constitutus, uti Iustus inquit in *l. 47. §. 2. ff. de Fideic. lib.* cum servo sub conditione rationum reddendarum libertas data esset, Prætoris officio contineri, ut Virum bonum eligat, cujus arbitrio rationes computentur. Et in *l. 137. §. 2. ff. de V. O. verb. ad judicem, id est, ad Virum bonum. l. 17. §. 5. ff. Injur. verb. arbitrato judicis uti, tanquam boni Viri.* Etsi enim omnis judex seu arbiter tanti nominis mensuram forte non



impleat, tamen ab eo dicitur, quod esse debet & esse præsumitur. Uti enim Stoici, ipsam sapientiam, quam divinarum atque humanarum rerum scientiam dixere, repræsentaturi, effinxerunt Sapientem in concreto. ad illius normam factum & formatum, non quales sunt homines, sed quales esse oportebat; ita & Romani, maxime Autores Juris communis, qui Stoicos haut illubenter sequi sæpe solent, cum ad regulam & arbitrium æqui bonique causam exigunt, id arbitrium boni viri dixerunt, quod Judicis est. Quod & Constitutionibus Imperii solenne est, uti Deputatis in causis moderationis injungitur, daß Sie die Moderation ex æquo & bono juxta arbitrium boni viri fürnehmen. &c. *R. I. 1555. §. 122. & R. I. 1582. §. 73. & R. I. 1594. §. 128.*

§. 9. Ad hunc igitur bonum Virum ejusque arbitrium quando venit seu ( si Plautina voce uti liceat ) bititur? Equidem non jam hic quæritur de ordinaria agendi & judicem adeundi ratione, quâ in potestate actoris est, actiones bonæ fidei & arbitrarias, quando lubet coram arbitro & judice competente instituere; Id enim omnibus actionibus commune est, quarum movendarum optio Actoris est. Sed de illa specie nunc tractandum est, cum pars vel partes alicujus arbitrio quid committere, ille vero vel non est arbitratus, vel perperam arbitratus dicitur vel pars arbitrio ejus stare non vult, quando illud arbitrio boni viri corrigendum aut supplendum veniat? Atq; hæc est Reductio illa ad arbitrium boni viri, de qua nunc agitur.



SECTIO II.

De

Arbitris negotio adjectis.

SUMMARI A.

- |  |   |
|--|---|
| <p>§. 1. Arbitros duplices esse, alios, qui negotio adjecti sunt, alios speciali compromisso electos.</p> <p>§. 2. In voluntatem debitoris nihil conferri posse.</p> <p>§. 3. In arbitrium ejus posse, &amp; quibus formulis.</p> <p>§. 4. Vocem arbitrii non esse voluntatis, sed rationis &amp; judicii.</p> <p>§. 5. Ipsa tamen obligationis substantia nec in arbitrium debitoris conjici potest, sed, si fiat, obligatio nulla est.</p> <p>§. 6. Si in arbitrium extranei, valet negotium, si ille arbitratus fuerit.</p> <p>§. 7. Si non est arbitratus, nullum est negotium.</p> <p>§. 8. Hinc inesse tali negotio veram conditionem.</p> | <p>§. 9. Si vero ipsa obligationis substantia non conferatur in arbitrium partis vel extranei, reliqua omnia possunt.</p> <p>§. 10. Excipiuntur de jure contractus stricti juris, justa ratione, de quo remisf.</p> <p>§. 11. In negotiis bonæ fidei regulare esse, ut re in arbitrium partis vel extranei collata, contineatur arbitrium boni viri.</p> <p>§. 12. Hæc reductionis prima species ut fiat? sc. saltem instituta ex contractu principali actione.</p> <p>§. 13. Eam non esse remedium illud, quod simile esse dicitur appellationi, sed hoc aliud esse, de quo sect. seq.</p> |
|--|---|

§. I.

**A**rbitrorum vero duplicem speciem nos facimus jure & ratione fundatam vid. l. 76. vers. Arbitrorum enim genera sunt duo &c. ff. Pro Soc. Prima est; cum pars vel partes, ubi lis non est, ita ultro contrahunt, vel disponunt, ut arbitrio alterius quid committant: uti cum societas contrahitur iis partibus, quas



quas socios vel alius arbitraturus est. *l. 6. ff. eod. tit.* Altera, cum lis est inter partes, quam decidendam vel componendam, compromisso facto, alteri mandant, atque hic recipit. Illi contractui vel negotio adjicitur, hi speciali compromisso recipiuntur, de qua specie potissimum hic agitur. In utroque vero genere usus est quaestio de arbitrio boni Viri, sed cum de priore Dn. Trosses alibi jam aliquot dissertatiunculis egerit, eo quidem nos remittimus, pauca tamen hic adhuc moveri e re videtur.

§. 2. Ex haec. dictis enim cum constet, arbitrium proprie significare iudicium, unà inde patebit quàm solidè & accuratè Autores juris Romani arbitrium à voluntate in aliis Juris articulis distinxerint: Cum enim obligationis natura hæc sit, ut in voluntatem debitoris conferri non possit, quia hic is est, qui necessitate solvendi adstrictus est, nihil equidem magis invicem pugnare potest, quam debitorem necessitate præstandi ligatum, & tamen rem in ejus libera voluntate esse: seu, in eodem debitore ratione ejusdem actus esse vinculum præstandi & libertatem negandi. Unde perpetua hæc & certissima regula exurgit, obligationem in voluntatem debitoris collatam omnino nullam esse. *l. 8. ff. de Obl. & Act. l. 7. pr. l. 35. §. 1. ff. de Contrab. emt. l. 46. §. fin. ff. de Verb. Obl. l. 17. l. 108. §. fin. ff. eod. tit.* unico saltem casu fidei commissariæ libertatis, specialissimo favore ejus, excepto, *l. 46. pr. ff. de Fideic. libert.*

§. 3. At alia vis est, si non in voluntatem, sed arbitrium alterius collatum sit: Nam Ita in debitoris quoque arbitrium conferri aliquando potest, inprimis in ultimis voluntatibus, quibus  
lega



legata & fideicommissa valent, etsi in arbitrium heredis qui debitor est; non valent, si in voluntatem ejus conferantur. Quod accuratè ita discernit JCtus in eleganti textu l. 46. §. 2. ff. d. Fideic. lib. ubi ait: *Quod si ita scriptum sit, si heres voluerit: non valebit; sed ita demum, si totum in voluntatem heredis fecit: si ei libuerit: Ceterum si arbitrium illi, quasi Viro bono, dedit, non dubitabimus quin legatum debeatur. Nam & eam libertatem relictam deberi placuit; Si tibi videbitur, peto manumittas: Nam ita hoc accipiendum est, si tibi quasi viro bono videtur. Nam & ita relictum: Si voluntatem meam probaveris: puto deberi: quemadmodum, si te meruerit quasi virum bonum: Vel, si te non offenderit quasi virum bonum: Vel, si comprobaveris: Vel, si non reprobareris: Vel, si dignum putaveris: Nam & cum quidam Græcis verbis ita fideicommissum dedisset: τὰ δέιν, εἰν δοκιμάσης, ἐλευθερίαν δοθῆναι βέλομαι, id est, Illi, si probaveris, libertatem dari volo: à Divo Severo rescriptum est, libertatem peti posse.*

§. 4. Hæc omnia enim sunt verba, non voluntatis, sed rationis & judicii: quibus exprimitur non, quod libuerit, sed, quod existimaverit judicaverit, visum ipse fuerit, quæ non fiunt nisi re expensa. Iis respondent vernacula hæc: non, da Er will: sed, da Ers also dasür hält: da Ers gut findet: da es Ihme gut deucht: da Ers also erachtet / vermeinet &c. His enim non significatur libera voluntas, quæ cum vinculo obligationis directò pugnat; sed ex æquo & bono æstimandi necessitas. Hoc enim Testator, uti his verbis significavit, ita voluisse intelligitur, & ad id itaque heres etiam abeundo obligatur: Qui proinde si nutu suo, vel perperam & iniquè arbitratu fuerit, corrigendum



id est ad amusim æqui & boni; quæ est arbitrium boni viri, seu iudicis.

§. 5. Cur igitur aliud placuit in contractibus; quippe qui in arbitrium debitoris collati jure non subsistunt, nec ullam vim habent, uti patet ex *l. 13. C. de Contrab. Emt. l. 35. §. 1. ff. eod. tit. l. 17. l. 108. ff. de V. O.* Scilicet ipsa ex contractu obligatio, & quæ ad ejus substantiam pertinent, non possunt conferri in arbitrium debitoris; quia negotium est imperfectum quoad aliquid deest, quod ad substantiam ejus requiritur: Uti emtio antè perfecta non est, quàm de merce & precio convenit. *pr. de Emt. & Vend.* Quod si igitur ita fieret, quanti emtor vel venditor in futurum arbitraretur, nondum inter eos convenit de certo precio, quia adhuc conveniendum fuit, & nihil actum intelligitur quoad aliquid agendum superest *l. 11. in fin. C. de Hæ. quib. ut indign.* Quin possent nunquam convenire, nec tum sufficeret arbitrium boni viri, quia ita non convenit. Ita ergo, cum substantia emtionis, sc. conventio partium de precio, deficeret, negotium imperfectum, eoque nullum erit: quæ & ratio est ipsius J. C. in *l. 35. §. 1. ff. de Contrab. Emt.* ubi ait: *Illud constat, imperfectum esse negotium, si emere volenti venditor sic dixit: Quanti velis, quanti æquum putaveris &c.*

§. 6. Quid si ergo pretium collatum fuerit in arbitrium extranei: *Quanti Titius arbitratus fuerit?* Equidem si ipse arbitratur, emtio subsit, nihilque ad substantiam ejus deficit: Nam & consensu partium definitum ita est precium; nec interest, certum quid sit per se, an per relationem aliud, v. g. *quantum in arca fuerit*: si in ea est certa quantitas: vel *quantum in rationibus*, &c. & ita pariter, *quanti Titius voluerit. l. 6. ff. de Reb. Cred. l. 7. §. 1. ff. de Contrab. Emt.* Nec hic



hic obstat ratio, quæ partis arbitrium excludit *supr.*  
*§. 14.* Non enim de obligando Titio agitur, ut de ob-  
 liganda parte: Hujus igitur obligatio excludit ar-  
 bitrium; illius nulla est, quæ excludere possit.

§. 7. Quod si vero Titius non arbitratur, vel  
 quod nolit, vel quod non possit, deficit contractus,  
 manetq; negotium imperfectum. Neque supplere  
 id poterit arbitrium boni Viri, quia id non convenit,  
 neque id precium definitum foret voluntate parti-  
 um, atque adeo deficeret tamen substantia negotii.  
*l. 25. ff. pro Soc. §. 1. de Emt. & Vend. l. fin. C. de Contrab.*  
*Emt. l. 44. ff. de V. O. l. 25. pr. ff. Loc. Cond.*

§. 8. Hinc sequitur, tali negotio, quod in arbitri-  
 um extranei rejicitur, in esse conditionem: *si ille arbi-*  
*tratus fuerit.* Cum enim arbitrium illud postea exi-  
 stere possit vel non existere, quicquid confertur in  
 futurum casum, quin & diem, qui potest non existe-  
 re, adeoque incertum est an sit extiturus, verissima  
 conditio est. *l. 37. l. 38. l. 39. ff. de Reg. Cred. l. 1. §. 2. ff. de*  
*Cond. & dem.* Unde & hoc sequitur, isti arbitrio o-  
 mnino standum esse, etsi iniquè definitum fuerit:  
 quia de alio precio inter partes non convenit, ade-  
 oque nec hic arbitrio boni Viri locus erit, quia id a-  
 liud pretium foret quam de quo partes consenserunt.  
 Atque ita hoc, de quo olim dubitatum fuerat, opti-  
 ma ratione decidit Imp. *in l. fin. C. de Contrab. emt.*  
 Non verò excluduntur remedia, quibus negotia quo-  
 que perfecta rescinduntur, & quæ locum haberent,  
 licet ipse partes definiuissent, uti *ex l. 2. C. de Rescind.*  
*Vend. &c.*

§. 9. Hæc de his quæ ad substantiam obligati-  
 onis pertinent, & si commissa sint arbitrio partis nul-



la sunt ; si extranei , conditionem habent. At cætera omnia possunt conferri in arbitrium cùm partis, tum extranei : & quidem si illi non arbitrentur, corrueat negotium, quia conditio defecit. Verum si illi arbitrentur, valebit negotium ; & si iniquè arbitrari dicantur, jam recurritur ad arbitrium boni Viri seu iudicis. Atque hi fines sunt, quibus in hoc genere arbitrorum reductio fit ad arbitrium boni Viri : ejusque rei rationem præclare expressit Celsus] Ctus in *l. 30. pr. ff. de Oper. libert.* quæ digna est ut referatur. *Si libertus ita juraverit, dare se quot operas patronus arbitratus sit, non aliter ratum fore arbitrium patroni, quam si æquum arbitratus sit, & fere ea mens est personam arbitrio substituentium, ut, quia sperent eum rectè arbitraturum, id faciant ; non quia vel immodicè obligari velint.* Ubi juramentum quoque liberti debitoris non exclusit arbitrium boni Viri.

§. 10 Equidem & illud unâ hinc patet, nunquam ex ratione juris communis locum esse posse arbitrio boni Viri in negotiis stricti juris : quia ex iis nulla obligatio oritur nisi quæ conventum est, nec alia iis æquitas vindicatur quam conventionis *l. 43. l. 44. l. 17. ff. de Verb. Obl. arg. L. 99. pr. ff. eod. tit.* Cujus juris non minus accurata ratio est, sed quæ latius patet, quam ut hic ea omnia exequi liceat. Sibi ergo imputet, qui eam legem sibi dixit, a qua recedere ex natura negotii non potuit.

§. 11. Sed in bonæ fidei iudiciis generaliter verum est, sive in partis sive in extranei arbitrii collatum sit modo non sit ipsa obligationis substantia, boni viri arbitrium intelligi. *l. 22. §. 1. ff. de Reg. Jur. Generaliter probandum est, ubicunque in bonæ fidei iudiciis confertur in arbitri-*  
um



*umdomini vel procuratoris ejus, (nedum extranei) conditio, pro boni viri arbitrio hoc habendum esse. Atque de ea res passim occurrunt exempla in jure, ut in l. 76. l. 77. l. 78. l. 79. l. 80. ff. Pro. Soc. l. 7. pr. ff. de Contrab. emt. l. 24. pr. ff. Loc. Cond. &c. Quæ cum jam alibi, ut supra dictum, exposita sint, nunc ea mittimus.*

§. 12. Atque hæc una species est reductionis ad arbitrium boni viri, quæ omnis iniquitas, modo sit manifesta, corrigi à judice bonæ fidei potest. l. 79. ff. Proc. Soc. arg. l. 76. vers. unum ejusmodi ff. eod. tit. Neque aliter sit quam proposita actione, v. g. pro socio, ex emto, &c. coram competente judice: unde dicitur corrigi *per judicium bonæ fidei. d. l. 79. in fin.* Quoties itaque pars contendit arbitrum pravè & inique arbitratum fuisse, & v. g. partes lucri vel damni in societate perperam constituisse, nihil aliud agit, quam ut adito judice ordinario, actionem ex illo contractu, cui arbiter adjectus instituat quæ queritur se arbitrio læsum fuisse petitque læsionem ex æquo & bono corrigi, *d. l. 76. & seqq.* Neque eo rescinditur contractus, sed inæqualitas tantum damnique inde ortum tollitur, ut in l. 3. c. *Comm. utr. jud.* atque ita ad id quod æquum bonumque est, redigitur.

§. 13. Unde patet, hanc reductionem non esse remedium illud speciale, quod in foro frequentatur, neque assimilari posse appellationi vel revisioni, quia quod precesit arbitrium, speciem judicii non habuit, sed simplex arbitratio fuit, quæ electus arbitrium suum indicavit. Unde nihil aliud hoc remedio continetur, quam nuda actio ex contractu b. f. perinde ut, si arbiter nullus adjectus fuisset, sed partes ipsæ tantum convenissent, & pars una ab adversario læsa diceretur, nihil aliud esset, quam





mera actio ex contractu. Id saltem interest, quod hoc casu pars læsa ageret ad rescindendum contractum, quod fieri non posset, nisi ex iustis causis restitutionis in integrum; sed arbitro adjecto, contractus salvus est, unde utraque pars consensu proprio tenetur; & de arbitrii iniquitate tantum querela est. Remedium igitur speciale Reductionis ad arbitrium boni Viri, quod appellationi simile dicitur in l. 32. §. 14. ff. de Rec. arb. in altera specie indagabimus.

### SECTIO III.

De

### Arbitris speciali compromisso electis.

#### SUMMARIA.

- |   |   |
|---|---|
| <p>§. 1. <b>D</b>E arbitris compromissariis remiss. Arbitrium hoc constare duobus negotiis; compromisso &amp; mandato.</p> <p>§. 2. Omnem ejus vim esse ex compromisso, nullam ex sententia; Secus ac in judicio.</p> <p>§. 3. Ex eo contractu partes teneri, sive æqua sit sententia sive iniqua; quod lim.</p> <p>§. 4. Duos casus discerni. I. Si sententiæ non statur, actio est ex compromisso, non ex sententia.</p> <p>§. 5. II. Si iniqua dicitur, actio est ex priore contractu;</p> | <p>&amp; hujus institutio demum est reductio appellationi similis.</p> <p>§. 6. Notatur. D. Textor.</p> <p>§. 7. Quid sit reductio ad arbitrium boni viri, &amp; quatenus instar appellationis.</p> <p>§. 8. Nulla ejus esse solennia, &amp; per modum exceptionis quoque induci posse.</p> <p>§. 9. Judicem reductionis non esse qui arbitri, sed qui partibus conventæ iudex est.</p> <p>§. 10. Idem esse, licet statuto ex laudo actio &amp; executio detur, cont. Da.</p> <p>§. 11. Refelluntur Gailius &amp; Mind.</p> |
|---|---|



- |   |  |
|---|--|
| <p><i>Mind. qui putant hac reductione tolli Austregat.</i></p> <p>§. 12. <i>Quæ ipsi erroris causa fuisse videatur.</i></p> <p>§. 13. <i>Lis Dd. utrum reductio intra 30. annos, an tantum intra 10. dies fieri possit, distinctione componitur.</i></p> <p>§. 14. <i>Ex quibus causis illa fieri possit?</i></p> <p>§. 15. <i>Esse remedium suspensivum.</i></p> | <p>§. 16. <i>Non requiri summam appellabilem.</i></p> <p>§. 17. <i>A iudice reductionis appellari posse.</i></p> <p>§. 18. <i>Reductione non committi pœnam compromissi.</i></p> <p>§. 19. <i>Nec eam excludi renunciatione vel iurejur.</i></p> <p>§. 20. <i>Nec laudo homologato, cæteris paribus.</i></p> |
|---|--|

§. I.

**A**lterum itaque genus arbitrorum est, qui dicuntur *Arbitri compromissarii*, cum speciali compromisso partium arbiter eligitur. De iis eorumque iuribus agitur in *tit. ff. de C. de Recept. arb.* & *Jure Canonico in tit. de Arbitr. x.* & in 6. quæ sunt ultra modum instituti nostri. Illud saltem hic monendum est, arbitrium huiusmodi congregatum esse ex duobus distinctis negotiis: Alterum est, compromissum, quod est conventio partium, quæ invicem promittunt, se stare velle sententiæ quam arbiter receptus dicturus est. Alterum, mandatum, quo partes committunt causam arbitro atque ille recipit. Cum igitur hic ex mandato suscipiat causam, poterat quidem mandato re integra renunciare §. 11. *de Mandat. l. 22. §. fin. ff. eod. tit.* sed illud jus pœnitendi hoc casu edicto prætoris sublatum est, qui arbitrium compellit sententiam causâ semel susceptâ dicere. *l. 3. §. 1. & 2. l. 32. §. 12. ff. de Rec. arb.*

§. 2.



§. 2. Quando igitur dixit sententiam, partes invicem convenire possunt, non ex sententia arbitri, sed ex sua conventionione, non quidem ex contractu principali b. f. uti in specie *Scil. 2.* sed ex pacto compromissi, ut præstent quod sententia definitum fuit. Quæ proinde obligatio tota & actio unicè oritur ex conventionione partium, neutiquam ex sententia arbitri: nulla enim causa justa obligationis ex eo est, quod privatus in realiena sensit. Ex iudicis sententia ideo obligatio nascitur, quia is quasi superior est, qui lege publica potestatem accepit statuendi inter partes, quæ proinde illius, veluti superioris & Magistratus, iudicio ac imperio jure quoque naturali obligantur, ut subjecti ex imperio magistratus: pro modo scil. illius Imperii, quippe quod effectum non habet, nisi sententia in rem judicatam evalueit. At arbiter privatus est, & in hac causa par, qui lege publica nullam potestatem, nullumque Imperium in partes accepit. Unde partes non aliter obligantur aut agere possunt quàm ex sua pactione reciproca, seu compromisso.

§. 3. Cum igitur compromiserint, se stare vel se sententiæ, sequitur omnino, quod ex hac promissione generali teneantur & conveniri possint ad id, quod sententiâ comprehensum est, sive æquum illud fuerit, sive iniquum, *l. 27. §. 2. ff. de Reg. arb.* cum pacto nihil exceptum sit. Quod tamen semper ita intelligitur, ut nunquã justæ causæ restitutionis in integrum, quæ contra negotia jure quoque valida locum habet, excludantur, uti si læsio allegetur ultra duplum. &c.

§. 4. Hinc duo casus discerendi: alter est, cum



cum pars stare non vult sententiæ, nec fidem præstare; alter, cum de arbitrii pravitate queritur. Priore casu quæritur, cum ex sententia arbitri nulla sit actio, si ab altera partium sententiæ paritum non fuerit, quæ sit exequendi juris nostri via ac ratio? Quæ vero alia, quam, ut quæ ex conventionem compromissi nascuntur actiones vel remedia legitima, adito iudice ordinario, inchoentur, & hic nulla alia reductio est, quam ut pars læsa agat ex compromisso ad implendam ejus fidem.

§. 5. Altero autem casu, cum arbitrii æquitatem pars impugnat, pariter actio instituitur, at non ex compromisso, sed ex priore contractu, de quo contenditur? aut aliud remedium quo oppugnatur arbitrii æquitas. Et hæc actionum seu remediorum juris, quæ ex pristino contractu nata sunt, institutio, est, quæ vulgo dicitur, reductio ad arbitrium boni viri. Atque hæc demum est quæ comparatur appellationi: quia instituta ita actione quasi provocatur ab arbitro privato, qui ad instar iudicis sententiam dixit, ad publicum & ordinarium iudicium. *l. 32. §. 14. in fin. ff. de Rec. arb.*

§. 6. Mirum itaque est quod D. Textorb. m. *in Præx. Judic. part. 1. cap. 12. n. 121.* statuit, hoc remedium de jure Civ. tantum obinere contra sententias arbitratorum, qui ex amicabile compositione causam inter partes agitant, & vulgo arbitratores vocantur: Equidem, si eos intelligit, qui tantum amicabilem compositionem quarunt, in hos omnium minimè id quadrat, quin cum sensu communi pugnat, quia hi nihil definiunt, sed horum consilio & svalu partes ipsæ: quæ si libera voluntate nil actum est, & nec negotium ullum nec obligatio. Si, vero ut videtur, intelligit arbitros contra-



tractui adjectos, de quibus *Secl. 2.* alii illi sunt ab arbitratoribus qui tantum amicabilem compositionem tentant, quos & confundere videtur *D. Struo. Exerc. 8. th. 96.* alique. Ad neutros vero hoc remedium proprie pertinere dictum est *Secl. 2. §. pen. & ult.*

§. 7. Est ergo reductio ad arbitrium boni viri remedium juris, quo à sententia arbitrii compromissarii provocatur ad iudicem ordinarium, ad corrigendam arbitrii pravitatem. Ea appellatio non est: *Marant. Spec. aur. part. 6. de Appell. num. 122.* cum à sententia arbitri appellari non possit, quia nec iudex est, nec sententia propriè, nec res iudicata: *l. 1. C. de Rec. arb. l. 3. C. de Jurisd. omn. jud. Gail. 1. obs. 150. n. 8. Brunnem. l. 1. n. 1. & seqq. C. de Rec. arb.* neq; fit ab inferiore iudice ad superiorem, ut appellatio; *l. 1. §. 3. ff. de Appel.* sed à non iudice ad iudicem. Verùm similis est appellationi, ut dicitur in *d. l. 32. §. 14. ff. de Rec. arb.* quia hæc arbitria ad similitudinem iudiciorum redacta sunt *l. 1. ff. eod. tit.* Unde sententiæ iniquitas ad similem modum corrigitur provocatione quadam ad iudicem ordinarium.

§. 8. Neque hic ulla sunt appellationis solennia, sed, ut dictum §. 4. *supr.* actio saltem ex illo contractu, de quo contendunt partes, & cuius respectu arbitrum elegere, instituitur coram Iudice ordinario, quo facto demum prima incipit instantia. Quin potest & per modum exceptionis induci; si enim ex compromisso & laudo, ut vocant, conveniatur pars coram iudice suo, dabitur ipsi exceptio doli, vel alia, qua impugnatur laudi æquitas: idque jure communi propè regulare fuit, quia nudo consensu vel pacto compromissa plerumque fiebant, ex quibus exceptio tantum, non actio tum dabatur. Atque hoc modo, opposi.



positā saltem exceptione, inducitur arbitrium boni vi-  
ri, & de eo tum Judex cognoscit. *per dict. l. 32. §. 14.*

§. 9. Frustra igitur dubitant, quis sit judex re-  
ductionis, isne qui arbitri judex est, an qui partis con-  
ventæ? Cum enim actio, ut diximus, instituat ex  
contractu partium, ex eo nemo alius conveniri pot-  
est quàm partes contrahentes, neque adeò in alio fo-  
ro quàm rei conventi. *l. fin. C. ubi in rem act.* Nec statui  
absurdius quicquam potest, quàm arbitri, qui nec con-  
venitur, nec ex aliorum contractu conveniri potest,  
forum spectari. Ineptius vero adhuc est, quod exem-  
plum appellationis afferunt, quæ sit ad judicis supe-  
riorem: Non enim id ideo fit, quia est judex judicis,  
sed quia est judex partium: nec mutari is potest, quia  
ubi cœpit judicium, ibi & finem accipiet *l. 30. ff. de  
judic. Marant. d. l. 1. num. 126. Myns. Cent. 2. obs. 61. per tot. Gail  
1. Obs. 149. num. 2. Roding. in Pand. Cam. lib. 1. tit. 35. pag.  
453. Bluhm. Proc. Cam. tit. 58. §. 8. Brunn. l. 5. n. 14. C. de  
Rec. arb.* Quod non item constitutum est in arbitris.

§. 10. Paulò magis dubium videri posset, u-  
trum secus sit, & judex arbitri adiri debeat, cum sta-  
tuto loci ex ipso laudo datur actio & executio? Etsi  
vero id statuat *Panormit. in. c. Quintavallis 23 num. 39.  
in fin.* atque in id alleget *Bart. in L. 2. C. Ubi & ap. qu.  
idemque sequantur Ferrar. Pract. in form. lib. ad Pen.  
ex comprom. Glosf. ad. verb. Nec reductio. n. 5. Marant. d.  
num. 126. in fin.* hunc vero *Myns. d. Obs. 61. in fin.* & de eo  
subdubitet *Roding. d. l.* tamen non minus id ineptum  
videtur. *Brunn. d. l.* Non enim arbiter convenitur in ea  
causa, sed pars quæ obtinuit arbitrium; & hujus igitur  
forum certissimo jure unicè competens est: neq;  
judicium est; quo ordo instantiarum ita sancitus est



ut mutari nequeat. *d. l. 36.* Neque apud Bart. quem omnes allegant, *in d. l. 2.* id invenitur.

§. 11. Sed & certum est, cum post laudum arbitri iudex aditur, eam esse primam Instantiam, & ideo iudicem primæ instantiæ esse iudicem reductionis, cum cognitio privata arbitri iudicium non sit nec instantiam faciat. Quin licet faceret, non tamen proceditur per saltum, sed per gradus: neque adeo omitti primæ instantiæ gradus posset. *l. 1. §. 3. ff. de Appell.* Unde falsum quoque omnino est, illos, qui immediate imperio subiecti sunt, ex reductione ad arbitrium boni viri non nisi in Camera Imperii conveniri posse: reiectis Austregis quod pro lubitu & nulla ratione fingunt. *Gail. 1. Obs. 1. num. 49 & Mindan. de Proc. lib. 1. cap. 20. §. 1. num. 13.* Quos merito refellit Schubhart. *de Austreg. cap. 9. num. 43 44.* Et quanquam Bluhm. *tit. 58. §. 10.* magis favere videatur Gailio, tamen *tit. 27. §. 184.* accedit Schubharto.

§. 12. Deceptus fortè fuit Gailius eo, quod in constitutionibus Imperii cautum est, si partes in ipsam Camera Imperii compromittant, in ea recipi id posse cum inter eos agitur, qui immediate Imperio subiecti sunt, & Austregas habent, vel si causa in prima instantia quoque ad Camera pertineat; *R. I. 1594. §. 64.* & tùm à sententia Camera revisionem interponi posse. *d. R. I. §. 65.* sequitur ergo Austregis locum non esse. Nam Resp. eo casu, quo ipsa Camera arbitrium recipit, si à sententia reductio petitur, non potest illa coram Austregis ideo fieri, quia ea sententia iudicis superioris est, quæ non potest corrigi à iudice inferiore, sed contra. *arg. l. 3. §. fin. l. 4. ff. de Rec. arb.* Secus vero est, si alius sit arbiter & ab eo redu-





reductio fiat, quæ tum non potest, nisi coram iudice primæ instantiæ tractari.

§. 13. Sed quo tempore fieri reductio debet? Mira contentio. Alii ad 30. annos extendunt. *Marant. d. part. 6. de App. n. 125. Gail. 1. Obs. 150. n. 2. Roding. d. tit. 35. pag. 452. & 453. Bluhm. d. tit. 58. n. 11.* Alii 10. diebus concludunt. *Panorm. d. c. 23. n. 16. Hartm. tit. 23. Obs. 7. n. 12. Ferrar. in d. Gl. ad. verb. Nec reductio. n. 2.* Sed certa solutio est. Suâ naturâ reductionis facultas non nisi 30. annis finitur, cum sit ipsa actio personalis, quæ movetur, & tanto tempore durat, quod omnibus iuribus in personam præfixum est. *l. 3. C. de Præscr. 30. ann.* Et cum neq; in rem iudicatam abeat arbitrium, neq; vim sententiæ habeat, 10. dierum spacio non coarctatur. Idq; omnino dicendū de arbitriis eorum, qui contractui adjecti sunt, de quibus *Sec. 2.* At de compromissis specialiter sancivit Imp. *in l. pen. C. de Rec. arb.* ut 10. dierum silentio firmentur. Quod & optimè observavit Marant. *d. loc. num. 125. 267. & 271.*

§. 14. Quando igitur hæc reductio fieri potest? Equidem regulariter non obtinet, sed sententiæ arbitri hujus statur sive æqua sit sive iniqua. *per. l. 27. §. 2. ff. de Rec. arb. l. 76. vers. Arbitrorum ff. pro socio* Excipiunt quasdam causas, sed non satis definiunt. *vid. Gail. d. obs. 150. n. 11.* Scilicet illæ causæ adversus laudum arbitri sufficiunt, quæ & alias ad rescindendum negotia ipso jure valida admixtæ sunt: uti si dolo, gratiâ, sordibus, latam esse sententiam appareat; vel pars enormiter læsa sit. Hi enim duo præcipui fontes sunt, unde causæ reductionis fluunt: sub dolo autem metum quoque justum comprehendimus, juxta *l. 4. §. 13. ff. quod met. caus.* In hæc vero duo capita conveniunt Dd. *Ferrar. in d. gl.*



*Nec reductio. num. 3. Marant. d. loc. n. 127. Gail. d. obs. 150. n. 9. 10. Brunnem. in l. 3. C. de Rec. arb. Roding. d. tit. 35. pag. 451. Quod & firmatum est constitutionibus Imperii, quibus dicitur revisio, ut R. I. 1524. §. 65. in verb. In diesen Compromissis oder arbitriis soll auch die Revisio nicht statt haben/ es sey denn daß sich die Partheyen de enormissima læsione beklagen würden &c. adeoque prævum sit arbitrium ut manifesta ejus iniquitas appareat, auff welchen Fall die Revisio &c. nicht abgeschlagen werden soll.*

§. 15. *Remedium hoc est suspensivum, quod suspendit executionem. Marant. d. part. 6. de App. num. 122. Roding. d. tract. tit. 35. pag. 452. Etenim, cùm sententiæ judicis autoritate publica latæ executio suspendatur interposita appellatione, cæterisve remediis suspensivis, par fuit, non permitti executionem laudi privati, de quo publicè in judicio adhuc disceptatur. Sed nec aliàs lite pendente fieri posse executionem aut aliam innovationem constat.*

§. 16. *Summam vero appellabilem neutiquam requiri verissimum est. Roding. d. tit. 35. num. 454. Blum. d. tit. 58. n. 12. tùm quia illa tantum sancita est in appellatione judiciali, qualis hæc reductio non est, etsi aliquam similitudinem habeat: tùm quia, ne intra certam summam appellari à sententia Judicis possit, propter summam præsumtionem, quæ omnium maxime creditur esse pro judicis publica fide & autoritate constitutis, de quo late Carpz. Dec. Illustr. 48. n. 12. & seqq. & autoritatem judicialem publicam, ne illa facile convellatur, constitutum, nec ad privata arbitria extendendum est.*



§. 17. Frustra vero ambigunt, Num à giudice reductionis appellari possit? Possè enim certum videtur, cùm appellatio sit remedium ordinarium & favorabile; nec ulla appareat ratio, quæ eam impediatur, & vel rem dubiam faciat. *Gail. 1. Obs. 149. n. 4. Roding. d. tit. 35. n. 454. Bluhm. d. tit. 58. n. 12.* Aliter quidem sentit *Ferrar. inglos. ad d. verb. Nec reductio. n. 9.* ex inepta ratione, quòd ad judicem non recurritur simpliciter ut judicem, sed ut bonum virum: cùm per bonum virum nihil aliud intelligatur, quàm judex, qui præsumitur esse vir bonus. *supr. sect. 1. §. 3.*

§. 18. Sed nec credendum, si pœna commisso adjecta est eam committi reductione facta ad arbitrium boni viri. *Ferrar. Pract. d. form. in gl. ad verb. Parti attendenti. n. 10.* Non enim in pœnam incidit qui legitimis juris remediis suoque jure utitur.


§. 19. Quæritur autem an renunciatio seu jusjurandum excludat reductionem? Quod neg. Cum enim reductio ex duabus maxime causis fiat, doli & enormis læsionis *supr. §. 14.* certum est, si ex capite doli fiat, nec renunciatione obstare, quia nulla pactio effici potest, ne dolus præstetur: *l. 27. §. 3. ff. de Pact. nec jusjur. quod non debet esse vinculum iniquitatis: c. 18. X. de Jurejur.* Si ex læsione enormi, neque renunciatio neque jusj. extenditur ad non cogitata de quibus ita non statuisset, si de iis cogitasset: *l. 12. ff. de Transact.* certum autem est, illos, qui arbitrum ut bonum virum eligunt, non cogitasse, eum tam pravum fore & tam enormiter læsurum esse. *per l. 30. ff. de Oper. lib.* Quæ & sententia est *Ferrar. d. Form. in d. gl. ad verb. Nec reductio. n. 3. Marant. d. part. 6. de Appell. n. 127. Gail. 1. Obs. 150. n. 8. 9. Roding. d. tit. 35. pag. 453.*

§. 20.



§. 20. Porro, cum aliquando actio quoque ex ipso laudo detur, scil. cum partes vel subscripserunt laudo, vel intra 10. dies non contradixerunt; quod laudum *homologatum* dicitur, *l. 5. C. de Rec. arb.* dubitari posset, an tum quoq; reductioni locus sit? *Neg. per d. l. 4. §. 5. ibi Brunn.* Quod si tamen causæ manifestæ sint, quibus negotia jure valida quoq; rescindi possunt, uti si justo metu adactus fuerit ad subscribendum, vel deterritus à contradicendo, vel alio genere doli deceptus atq; inductus sit, vel si tum quoque opinio fuerit, se læsum non esse, deinceps vero appareat ultra duplum læsio, non dubitabimus quin remedio locus sit. *Brunn. d. l. 5. n. 11. seqq.* Deniq; cum dictum sit hæc arbitria instar judiciorum redacta esse, ultro inde fluit. reductione hac ut litis contestatione, rumpi præscripti-ones: *Brunn. d. l. 5. §. 1. & Acta coram arbitro pro- bare in judicio ordinario Brunn. d. l. 5. §. 2. & simi- lia: quibus adeò nunc non immora- bimur.*


F I N I S.
















18.  
L. D. B. V.  
DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS,  
DE  
**REDUCTIONE**  
**AD ARBITRIUM**  
**BONI VIRI,**

Quam  
DIVINI NUMINIS AUSPICIO  
EX DECRETO ET AUTORITATE  
MAGNIFICI JCTORUM ORDINIS  
IN VIADRINA CELEBERRIMA,

PRÆSIDE

**DN. HENRICO à COCCEJO,**

JCTO SUMMO,  
AUGUSTI AC POTENTISSIMI REGIS BORUSSIÆ  
CONSILIARIO INTIMO,  
FACULTATIS JURIDICÆ ORDINARIO,  
ET ANTECESSORE PRIMARIO,

*Domino Fautore ac Patrono per omnem ætatem submisſe colendo.*  
PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES, IMMUNITATES  
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA  
Rite ac ſolenniter conſequendi,

In AUDITORIO JCTORUM

Die Novembr. An. MDCCXIII. Horis ante- & Pomeridianis  
Publice Jctorum diſcuſſioni ſubmittit

**ERNEST. FRID. CAMMANNUS,**  
Loſſov. Francof. J. U. C. & N. P. C.

*Francofurti ad Viadrum, Literis JOH. CHRISTOPH. SCHWARTZII.*